



~~11-58.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. MDLCCCLXIII.

Q. D. B. V.

**STUDIUM
JURISPRUDENTIAE**

in celeberrima Lipsiensium Academia

suscipiendum

JUVENI

litteris ac moribus politissimo,

**CHRISTIANO GO-
DOFREDO HOFF-**

MANNO,

VIRI

de re literaria

&

studiosa Juventute longe meritissimi,

**DN. M. GODOFREDI
HOFFMANNI,**

Gymnasii Zittaviensis Rectoris Celeber-
rimi, Fautoris & Collegae honoratissimi

Filio primogenito,

tantog; Parente non indigno,

cum ex

GYMNASIO ZITTAVIENSI

d. 22. Junii Anno cl^o 1^o cc^o XI.

discederet,

faustum fortunatumq;

cupit esse

calamo votiv^o

M. Adam Erdmann MIRUS, Gymn. Con.-R.



Olet tribus distingui aetatibus, quod meditaris studium Jurisprudentiae prolixissimum. Prima a mundo condito ad Papyrium, primum Romanorum JCrum numeratur, artisq; pulcherrimae primam veluti infantiam sistit. Secunda adolescentiae faciem referens, ad Justiniani Imperatoris tempora extenditur. Tertia perfectam ejus aetatem exhibet, & a Justiniano ad nostrum seculum excurrit. Habes in singulis Jurisprudentiae aetatibus, quae & praeclarae Tuae indoli respondent, & expeditam discendi alacritatem magis magisque inflammant. Prima quidem aetas tam sacrata Reipubl. Israeliticae jura, quam mores institutaq; diversarum gentium ante oculos Tibi ponit. Israelitarum rempublicam Deus ipse condidit, conditamq; saluberrimis temperavit legibus. Tam late illae patent, ut debito cum studio collectae & in certum ordinem revocatae, Jurisprudentiae divinae systema exhibere possint. Gentilis Jurisprudentia debet incunabula variis legislatoribus, nihil prius habentibus, quam ut respublicae plurimis in locis erectae, valido legum praesidio firmarentur. Nec dubitarunt, legibus auctoritatem atq; constantiam ut conciliarent, illis vel divinam auctoritatem attribuere, vel legislatorum nomina augusta celebrare. Minos certe ab antro quodam Jovis dicebatur suas petivisse leges, Lycurgus ab oraculo Pythio, Numa ab Egeria, Saleucus a Minerva, alii ab aliis. Nec ignotum, Amphictyonicas fuisse dictas, quae ab Amphictyone Atheniensium rege latae sunt leges; & Papyrianas appellatas, quae Romuli, Numae & sequentium Regum leges in unum ab eo librum relatae sunt. Secunda Jurisprudentiae aetas eo majora istius incrementa ostendit; quo plures hujus artis admiratores habes obvios. Roma certe post Leges XII. tabularum ab Atheniensibus aliisque Graecis acceptas, tanto Jurisprudentiae studio invigilavit, ut quovis tempore viros hac arte insignes exponeret publico famae theatro. Habes cum alios plures; tum potissimum P. Sempronium, T. Coruncium, M. Man-

Manlium, Cn. Aufidium, C. Juventium, Ulpium Marcellum, Tertullianum, Papinianum & Pomponium. Tanta virium aemulatione studium Juris continuarunt, ut nomen illud fieret sectarium, & Antistius Labeo Trebatii auditor conderet scetam Labeonis; Atticus Capito Capitonis introduceret, a Proculo Proculiani dicerentur, a Pegaso Pegasiani. Nec defuerunt monumenta varia, firmissima Jurisprudentiae receptacula. Surrexit Codex Gregorianus, Constitutiones Imperatorum ab Adriano ad Valerianum & Gallienum continens. Successit Codex Hermogenianus ab Hermogeniano Africano Jcto dictus, atq; Constitutiones Claudii, Aureliani, Probi, Cari, Carini Diocletiani & Maximiniani exhibuit. Additus est Codex Theodosianus, auctoritate Imperatoris concinnatus, Constitutionum a Constantino M. ad Theodosium factarum felix promptuarium. Tertia Jurisprudentiae aetas post Justinianum spatiosissimum veluti campum rerum percipiendarum tibi aperit. Habes Jus civile Justiniani Imperatoris, opera Triboniani, Theophili, Dorothei aliorumq; collectum, in Institutiones, Codicem, Pandectas & Novellas distinctum, aliisq; accessionibus successu temporis auctum. Habes Jus Canonicum, a Gregorio M. inceptum, a Gratiano & Gregorio IX. in systema redactum, a Clemente Decretalibus illustratum, & a Johanne XXII. aliis libris amplificatum. Habes Jus Statutarium, omnibus ferme locis speciale atq; proprium; eo quidem prolixius atq; difficilius, quo major istius observatur diversitas. Praetereo Jus publicum, ad statum Reipublicae accommodatum, Constitutiones, Edicta & sexcenta alia. Haec etsi talia sunt, quae vel cordatissimum a tanto tamq; prolixo labore retardare possint; attamen stimulum tibi atq; calcar addere solent. Habes enim eam naturae bonitatem, quae ad virtutem proclivis, quaeq; plenis veluti velis ad altiora in dies contendit. Animum affers in Academicam & doctrina solidiore, & sancti moris disciplina excultum. Quae enim in lingvarum fundamentis, quaeq; in politicis, historicis, aliisq; ad humanitatem pertinentibus studiis ab hac aetate deside-

de-

derantur; tam avido animo imbibisti, ut nesciam, an naturae
 magis, quam doctrinae beneficio tam feliciter ea arripueris. Pro-
 ficiendi cupiditatem commendavit grata morum modestia,
 qua superiorum gratiam tibi conciliasti; pares ad similem imi-
 tationem provocasti, inferiorum laudem & admirationem con-
 citasti. Fruere porro illa discendi proficiendiq; cupidine, omnes
 labores in meras delicias, incommoda omnia in commoda gra-
 ta convertente. Fruere aetate, quae veris ad instar florum uber-
 tate amabilis, quaeq; perceptam doctrinam successu temporis in
 dulcissimos fructus convertere satagit. Non in postrema parte
 felicitatis in posterum posueris, quod ab ore Praenobilissimi Do-
 mini PARENTIS pendere, & a sermonib⁹ ejus facundissimis sapi-
 entiae solidioris elementa percipere licuerit. Fundamentum cele-
 brabit architectum sapientem, molemq; superstructam eo citius
 recipiet soliditas; quo severiore Doctorum cura fuerit cumulata.
 Quare in discessu non adhortatione, sed gratulatione debita ut-
 tendum esse censeo. Gratulor Praenobilissimo DNO PAREN-
 TI, quod intueatur filium virtutis & sapientiae paternae non in-
 felicem propagatorem. Gratulor Tibi de felicitate, quod illam
 Academiam studiorum matrem adoprare possis, quae quondam
 Praenobilissimum DN. PARENTEM optimis instructum sapi-
 entiae muneribus remisit. Ostende te in ea orbi erudito; osten-
 de te patriae; ostende te Familiae. Orbi erudito, ut successu
 temporis in famae theatrum procedas, & gloriam paterni nomi-
 nis conserves. Patriae, ut respublica percipiat de Te fructus,
 quos sibi haecenus promisit. Familiae deniq; ut Hoffmannia-
 nae sis praesidio & ornamento, Neseniana gaudium repetat,
 Güntheriana de Te sibi gratuletur. Faxit divina providentia,
 ut felicem habeant progressum, quae in Academia suscipis; & ut
 tali instructus eruditione redeas, quae Deo patriaeq; gra-
 ta, quaeq; omnium bonorum favori & benevolen-
 tia te commendare possit. Vale.







Ung. VI 58 (1)

ULB Halle
002 686 287


3



56,

VD17
Sep. 2000 Pci.







Q. D. B. V.
STUDIUM
JURISPRUDENTIAE
in celeberrima Lipsiensium Academia
suscipiendum
JUVENI
litteris ac moribus politissimo,
CHRISTIANO GO-
DOFREDO HOFF-
MANN,
VIRI
de re literaria
&
studiosa Juventute longe meritissimi,
DN. M. GODOFREDI
HOFFMANNI,
Gymnasii Zittaviensis Rectoris Celeber-
rimi, Fautoris & Collegae honoratissimi
Filio primogenito,
tantoq; Parente non indigno,
cum ex
GYMNASIO ZITTAVIENSI
d. 22. Junii Anno cl^o 1^o ccXI,
discederet,
faustum fortunatumq;
cupit esse
calamo votivo
M. Adam Erdmann MIRUS, Gymn. Con.-R.